

adolescentibus magnas extorquent obligationes; Eis etiam coniungendo aliquos ex illis Notarijs, & proxenetis, qui sint huiusmodi implicitorum furtorum mediatores, & operarij.

Confouet quoque huiusmodi truffas & fraudes, nimium benigna Romanæ Curiae praxis, pietati quidem, ac etiam iuris intentioni innixa, non tamen adeo defacili, ac generaliter practicanda, ut potè aliquorum malorum productua, super suppeditatione scilicet alimentorum facienda per creditores carceratis debitoribus, qui propterea libenter, eam hilarem vitam cum alijs eiusdem genij socijs, ibi creditorum expensis ducunt, atque semel liberati, student alia debita contrahere, ut idem sequatur, vnde propterea creditores duplex sentiunt damnum, duplumque iacturam; Et per consequens quando agatur de debitibus, in quibus creditor in bona fide sit, & excusabilis cum huiusmodi debitoribus, quos aliqua insuperata infortunia non excusat, sanctius esset practicare aliquarum nationum antiquos rigores, qui apud historicos leguntur, sive iuris communis axioma, quod qui non habet in ære, luat in corpore.

Cumque eadem Curiæ benignitas, ex eo proueniens quod à Prælatis & viris ecclesiasticis constituta sit, determinauerit, ut eadem alimentoru[m] obligatio Christianis creditoribus incumberet erga debitores habentes, quasi quod isti dicantur ciues, & de populo, atque potiri debeant priuilegijs, ac favoribus per leges vel styllos inductis, quamvis æquitatis motiu[m] habeant C; Atque Urbanus VIII. id incongruum reputaret, ideoque ipsorum Hæbreorum Vniuersitatem ad hoc onus obligauerit D; Hinc proinde sunt frequentes fraudes, & collusiones, ob quas Christiani creditores potius severè puniri deberent, quoniam præfertim fundacioni mercatores, illis hæbreis, quos sciunt pauperes ac minus idoneos, pro alterato pretio, credunt merces à vetustate vel à tineis attritas, sub hac spe, quod Vniuersitas ne alimentorum sumptum patiatur, quandoque magis expedire putat debitum soluere, vel alias cum creditore se concordare.

Frequentes autem oriri solent controversiæ iurisdictionales; Vel principaliter pro maiori competentia fori; Vel incidenter pro validitate actorum, & præferentiæ exequutionum, & subhaftationum, inter dictum Præsidem carcerum, & Iudices ordinarios, à quibus relaxata fuerint mandata, quorum vigore carcera-tio sequuta sit, aliaque incidentia resulant, super quibus, magis verò, ac potissimum pro causis criminalibus, de quibus meum non est agere, ut potè extra propriam spheras, amplum adiicit volumen supra enunciatus Scannarola, cui titulus est *de visitatione carceratorum*, vbi de plerisque videri poterit, ad hanc matrem visitationis carcerum spectantibus, & de quibus raro qualificatis Aduocatis in Curia agere occasio suppetit, cum sint negotia Curialium spherae minoris ac diversæ.



### De Tribunali Signaturæ Papæ, quæ Gratiae dicitur.

S V M M A R I V M.

- 1 *E antiquo statu Signaturæ.*
  - 2 *Quot, & quales erant Referendary.*
  - 3 *De antiquis eorum prærogatiis.*
  - 4 *Quod esset munus lucrosum.*
  - 5 *Quid contineat Signatura gratiae.*
  - 6 *Quando fit, & cum quorum Cardinallium interuentu, & quomodo.*
  - 7 *Qui nam Prælati, & officiales interue-niant.*
  - 8 *Quomodo commissiones proponantur.*
  - 9 *Quomodo votentur, & quamodo.*
- P.2. Relat. R TO An,

- 10 An, & qui loquantur ultra votantes.
- 11 Quot commissiones in totum proponantur.
- 12 De commissione appellatione remota.
- 13 Ex qua causa id concedatur.
- 14 Clausula appellatione remota intelligitur de friuola.
- 15 De cumulatione petitorij cum possessorio.
- 16 Decommissione pro reiectione attentatum.
- 17 De aperitione oris.
- 18 De eodem, & de duplice specie.
- 19 De sanatione censuum.
- 20 De sanatione aliquorum defectuum, & quanda intret.
- 21 De sanatione defectuum iudicialium, & preserium citationis.
- 22 De restitutione in integrum aduersus rei iudicatam.
- 23 De questionibus competentie fori, & de alijs ad hanc Signaturam.
- 24 Papae declarationi in signatura defertur.
- 25 De causis appellationum à Consilio Religio-  
niis Hierosolymitanae.
- 26 Quare iste commissiones non signetur nisi per Signaturam gratiae.
- 27 Declaratur in quibus causis id procedat.
- 28 De recursu ad Signaturam, & concessione superseborie.
- 29 De modo informandi Signaturam gratiae & Papam.
- 30 Aduersus resolutiones non solet dari noua audiencie.
- 31 De commissionibus gratiosis.
- 32 De commissionibus, quæ signantur in Camera.
- 33 De modo describendi Iudici cum clausula arbitrio.
- 34 Quid id operetur.
- 35 De differentia inter rescripta Signatura gratiae, & iustitiae.
- 36 Quod sit oportunum habere frequenter Signaturam, & de ratione.
- 37 De Praefecto huius Signaturae.
- 38 In quibus Signatura Gratiae se non ingrat.

## DISC. XXX.

- Imium longa, & inutilis di-  
gressio esset, recesserunt;  
Tribunalium utriusque  
Signaturæ introductionem,  
ac distinctionem, earum-  
que antiquum stylum, seu  
primum valde duerat, dum ex supra-  
insinuatis, praesertim agendo de Datario  
& Dataria, quamplura negotia gratiofa,  
vel quæ alias per organum Dataria, cum  
supplicationibus Papæ manu signatis  
nunc expediuntur; Imo & quamplura  
alia ad regimen temporale pertinentia,  
quæ per organum Thesaurarij generalis,  
vel aliorum officialium explicantur, cum  
chirographis Papæ manu signatis, cade-  
bant sub hoc genere Signaturæ, praeser-  
tim Gratiae; Etiam ea, quæ explicantur in  
Consistorio per organum, seu ministeriu-  
Vicecancellarij.
- Minusque habebatur usus simplicium  
Referendariorum in tam copioso & ef-  
frenato numero Prælatorum cuiuscum-  
que generis personarum, ut de praesenti,  
fortè sub alicuius reformationis necessi-  
tate habetur, adeòvt status prælatitius,  
quodammodo vilescere incipiat, & cum  
ea contradistinctione inter Prælatos vo-  
tantes, et alios qui ad differentiam di-  
cuntur simplices referendarij, quoniam  
aderant solum illi, qui gerebant eas par-  
tes, quas hodie gerunt Votantes in quo-  
dam præfinito nimiumque moderato nu-  
mero, qui neque ad hodiernum solorum  
Votantium ascendebat; Atq; hinc seque-  
batur, quod in magna erat existimatio-  
ne, magnisque potiebantur præminen-  
tijs, & prærogatiis, etiam supra Prothono-  
tariorum, ac Rotæ Auditores, & Came-  
ra Clericos; Et merito quidem, cum es-  
sent Papæ collaterales, ac immediati Cœ-  
filiarij.
- Item antiqui scriptores presupponunt,  
quod hoc munus notabilia præferret  
emolumenta, licita & publica, utra alia  
considerabilia, quæ producebant mune-  
ria, quæ ut potè in esculentis, & poculen-  
tis consistentia, licita reputabantur; A  
Et

A. Gomes in compend. utriusque Signaturæ post quest. 16. in regul. de non iudican.  
iuxta form. supplicationis.

## DISCURSUS XXX.

Et tamen hodie istud munus Votantis  
utriusq; Signaturæ, nullum penitus pro-  
ducit emolumentum, minuq; fortè existi-  
mationem considerabilem, nisi circa ali-  
quod, tale quale litigantium, vel Curia-  
lium inferioris classis obsequium, pro  
aliqua benevolentia captanda, adeòvt re-  
putetur in Prælatis infortunium, ad istud  
munus peruenire; Talis est rerum mundi  
vicissitudo, ac temporum immutatio.

Artento igitur hodierno statu (cum de  
antiquo, curiosus apud illorum temporū  
scriptores de facili iospicere valeat), U-  
triusque Signaturæ Tribunalia inter se  
distincta sunt, quorum unum dicitur Si-  
gnaturæ Sanctissimi, seu Gratiae, quod fo-  
nat in idem; Et alterum dicitur Signatu-  
ra Iustitiae.

De primo autem in praesenti agitur,  
de altero autem dissequenti; Atq; quatenus  
ad illud pertinet, continet quādam publi-  
cā seu solemnē functionem, seu congre-  
gationem, quam ipse Papa per quan-  
dam speciem parui Consistorij in eius pa-  
latio tenet, pro discussione aliquarum  
precum vel supplicationum, quæ sibi  
porriguntur, an scilicet, & quomodo eas  
signare, vel potius recipere debeat; Si-  
quidem, iuxta consuetum Curie ordinem  
qui ad Papæ placitum est variabilis, co-  
dem modo, quo de Consistorio dictum  
est, bis in mense, & sic alternatis hebdo-  
madis, inter Consistorium, & hanc Signa-  
turam, feria tertia, quæ martis vulgo di-  
citur, de mane, in una ex aulis interiori-  
bus palatij, Papa sedet, quadam parua  
tabula ante ipsum posita, cum atramen-  
tario, alijsque instrumentis oportuniis ad  
scribendum, & subscriptendum, eiq; a duo-  
bus lateribus assistunt, aliqui Cardinales  
in numero competenti pro eius arbitrio  
huic Congregationi adscripti, sedentes  
in scabellis capite cooperato ad formam  
Consistorij; Cum ea tamen differentia,  
quod in Consistorio assistunt, cum habitu  
magis solemnii, nempe cum cappa supra  
rocchetum; In ista vero Congregatione,  
procurantur alijs omnibus supra enunciatis,  
quæ fiant coram Papa, assistunt cum co-  
sueco habitu, quo utuntur incedendo per  
Urbem, nempe cum rocchetto, mantellet-  
ta, & mozzetta, sine tamen pallio, quod  
in alijs priuatis deferunt; Cardinales  
vero nullum proferunt votum, nisi qua-  
tenus eorum aliqui per ipsum Papam in-

terrogentur, quod nunquam, vel nimium  
raro contingere solet, respectu illorum  
Cardinalium, qui non ratione officij in-  
terueniunt, sed solum ut praesent affilie-  
tiam Papæ pro eius maiestate, Loqui au-  
tem solent, ex officio, vel interrogati, il-  
li Cardinales, qui in Signatura interuen-  
iant ratione officij, unde propter ea eis  
incumbat certiorare Papam de aliqua  
circumstantia in causa, quæ pertinet ad  
eius officium vel Tribunal, ut (ex. gr.) sunt  
Cardinales Vicarius, & Camerarius, Prete-  
ritus Signaturæ Iustitiae; Ac etiam Praefec-  
tus Congregationum Cardinalitiarum de  
quibus supra, eodem modo quo habetur  
infra de ihs Prælatis, qui ratione officio-  
rum, vel Tribunalium affilient; Et est  
quoque Datarius quando sit Cardinalis.

Post Cardinales stant, capite discooper-  
to, cum rochetto, mantelletta, & birre-  
to in manibus, illi daodecem Prælati se-  
niiores, qui votantes dicuntur, tanquam  
Papæ assessores, vel consiliarij, eorum  
votum prolati, quatenus Papæ placeat  
ac videatur illud exquirere; Ac etiam as-  
sistunt, pariter stantes, & capite discooperto,  
codem prælatitio habitu induiti,  
quamplures officiales, nempe; Auditor  
Cameræ, & Thesaurarius, qui stant pro-  
ximores Papæ, post eius sedem, uno à  
dextris & alter à sinistra; Item Datarius  
si est Prælatus; Decanus Rotæ, vel eo im-  
pedito Prodecanus; Decanus Cameræ vel  
eius loco Prodecanus; Vicegerens Vica-  
rij; unus Prothonotarius; Duo Locum-  
tenentes Auditoris Cameræ; Regens Cœ-  
cellarie; Unus ex Abbreviatoribus de  
parco maiori; Et Auditor Camerarij; Et  
in summa illi Prelati, qui sunt in Curia lu-  
dices ordinarij, sive de aliquo Tribunalis,  
ad effectum, ut quando tractetur de cau-  
sis, ad illud Tribunal pertinentibus, cer-  
tiorare valeant Papam, eijsq; Assessores  
de cause statu, vel de motu, ex quibus,  
facta vel non facta sit aliqua prouisio, ad-  
uersus quam una Partium ad Papam re-  
currat.

Vltra istos Prælatos, assistunt plerique  
alijs, nempe Auditor domesticus Papæ  
tanquam eius adiutor in causa studio  
facto, beneque informatus, ut contingere  
in relatione, vel discussione causa, ali-  
qua facti dubitatione, possit ipsum Pa-  
pam certiorare; Ac etiam interueniunt  
illi tres Prælati, qui ad differentiam se-  
P.2. Relatio. R 2 nio-

niorum habentium, votum qui propterea, ut supra, appellantur Votantes, dicuntur simplices Referendarij, qui causas vel commissiones proponere debent; Prout etiam introducantur illi tres Prelati, qui iuxta ordinem turni, proponere debent causas in proxima sequenti signatura, nullam peragentes functionem, sed ad solum effectum, ut instruantur ad illam functionem bene peragendam.

<sup>8</sup> Si guli itaque dicitur tres Prelati, iuxta eorum ordinem, approximantes tabule, quae est ante sedem Papæ, eidem (ea quæ decet reverentia, & humilitate), ordinatim, singulas sibi distributas, vel incumbentes commissiones proponunt, referendo quo b*e* cuius fieri potest, latino eleganti, sed laconico sermone, facti scripsi, ac oratoris petitionem, & oppositoris exceptiones, absque tamen proprij voti prolatione; *Hilque* peractis, in qualibet commissione; Vel Papæ, nullum exquirendo votum rescribit de relectione cū consueto verbo *nihil*; Vel de signatura cum clausulis sibi beneuisis, vnde propterea proceditur ad propositionem alterius commissionis; Aut quando ipsi placeat, desuper à dictis duodecim Prelatis exquirit, votum, quod prius profertur à dicto Prelato, qui commissione proposita (et qui propter ea Ponens appellatur) deindeque à præfatis duodecim Votantibus, inter quos, more Tribunalium collegitorum, votorum discordiæ, vel disputationes, pro cause discussione haberi solent, proferendo pariter votum, quod breuius fieri potest, cum eodem eleganti, & laconico latino sermone; Et postquam numeratis votis prodierit resolutione majori parte, tunc in arbitrio Papæ est, illud votum sequi, vel non sequi, aut diverso modo rescribere; Siue tunc non rescribendo, sibi reseruare resolutionem dandam in Camera, per organum Auditoris, dum istud est votum merè consultuum.

Et quando in singularum commissionum propositione, vel discussione, contingat, ut aliquis ex dictis Cardinalibus qui interueniunt, nomine sui Tribunalis, vel ad Papæ interrogationem, vel ex officio ad sui Tribunalis defensionem, sit alloquuturus, id agit, petita prius venia,

ac stando, & capite disoperto, codem modo quo ijdem Cardinales, singulariter alloquuntur Papam in Consistorio; Si vero sunt Prelati, petita etiam venia, cum maiori reverentia, & obsequio, alloquuntur genuflexi.

In isto autem congressu, proponuntur in totum triginta commissiones; Decem-

<sup>11</sup> scilicet per quemlibet Prelatum, ex quibus distributiæ, quinque sunt super causis contentiosis, altera Parte auditæ, & cōtradicente; Et quinque sunt super negotiis merè gratiosis absque contradicente.

Ex genere contentiosarum sunt illæ petitiones, super quibus, ob iuris dispositionem in contrarium, siue ob defectum potestatis Magistratus, & Tribunalium, non nisi Papa tanquam supremus Princeps rescribere potest, ideoque ista propriè dicitur audientia Principis; Puta, committendo causam alias de sui natura appellabilem, cum clausula *appellatione remota*, dum non nisi ad Principem, eiusque supremam potestatem pertinet, applicationem tollere, ac dispensare legibus, quæ illam concedunt, ideoque proponuntur, ac discutiuntur causæ, ex quibus id concedendum sit, necne; Quamvis etenim in omnibus ijs, quæ à iure possitudo pendent, atq; directè non feriunt, ius diuinum, vel naturale, ex magis recepto

<sup>13</sup> professorū fori externi sensu, iuprema & absoluta sit Papæ potestas dispeliandi, vel derogandi, etiam sine causa B; Nihilominus id fieri non debet, nec solet, quando iusta causa non accedit; ideoque exanimantur causæ, quæ iusta reputentur, nempe; Acta sanguinis coniunctio; Petentis paupertas; Magna causæ pietas; Motuum sedandi inimicitias, vel occurrendi scandalis; Vel petentis grauis ætas, quando de iuribus merè personalibus ac vitalijs agatur, ut in causis beneficialibus frequens praxis docet; Ideoque ipsi defensores decantare solent propositiōnem, quod appellatio est species defensionis, quæ tollenda non est; Id autem certam non habet regulam, cum totum pendeat à Papæ libero arbitrio, quod à singulorum casuum circumstantijs regulari solet.

Sunt item commissiones appellationis quæ porrigitur à Iudicibus, vel tribunalibus,

B. *supra* dis. 2. & tit. de Regal. dis. 148.

<sup>14</sup> nalibus, quibus causa ab eodem Papæ commissa fuerit (vt supra) appellatione remota, quoniam cum ista clausula intelligenda veniat de appellatione friuola, & quæ probabile iniustitia, vel grauaminis motiuum non habeat C, idcirco discutitur, an denuo de appellatione rescribi debeat, & an ad utrumque effectum, deuolutiuum, & suspesiuum, vel potius ad solum deuolutiuum, non impenitentia interim exequitione, pro causarum qualitate, carumque circumstantijs, adeo ut pariter non detur certa regula.

Recurri etiam solet ad hoc Tribunal <sup>15</sup> pro obtinendo cumulationem possessori, cum petitorio, super quo pariter discutiri solet, an accedit iusta causa, sine qua regula est, vt id concedi non debeat; Iusta quoque causa reputari solet; Vel ipsius possessionis turbiditas; Vel bonum ius nimirum clarum petitoris; Vel diu intermissa, seu neglecta possessio; Aut ratio scandalorum, vel inconvenientium, cum similibus. D

Prout etiam peti solet rescriptum pro relectione, vel suspensione purgationis <sup>16</sup> attentatorum, vel spolijs in fine litis, ex aliqua iusta causa, sine qua id est denegandum; Puta ratione paupertatis; Aut clari boni iuris, adeo ut intret æquitas prohibitiua inanis circuitus; Siue turbiditas attentatorum, quæ dolosa dici non valeant, atque à bono iure pendeant, cū similibus. E

Pro frequentiori contingentia, ad hoc Tribunal recurri solet, pro remouendis <sup>17</sup> obstaculis, quæ præbeantur per clausulas præjudiciales in literis Apostolicis apponi solitas, ut sunt, clausula *sublata*, & *decretum irritans*; Siue quod de interpretatione vel defectu intentionis, dari non valeat, dum per istas clausulas (vt Practici dicunt) clauditur os, atq; ligantur manus, tam iudicii, quam Parti, ideoque recurriretur pro obtinendo oris aperitionem.

Quamvis etenim de stricta iuris censura, plerique dentur casus, in quibus ex

- C. tit. de iudicij in dis. in quo agitur de appellatione.  
D. tit. de iudicij agendo de iusta cumulatione, & de iudicij possessoris.  
E. cod. titul. de iudic. agendo de attentatis, dis. 18.

huiusmodi clausulis, dictus effectus non resulteret; Vel scilicet ex capite non comprehenditionis; Aut ob detectum intentionis, (quando etiam de hoc cognosci prohibitum non sit); Adhuc tamen, præfrequentiori Rotæ, aliorumque Tribunalium stylo, dum Papa est præsens, atque facilis est recursus ad eum, ob quamdam reverentiam, Tribunalia abstinent, atq; remittunt Partes ad Sanctissimum. F

Duplicis autem generis sunt huiusmodi petitiones; Aliæ siquidem sunt, quæ flunt pro sola aperiōne oris aduersus clausulas prædictas, ad effectum obtainendi habitationem impugnandi, prout de iure ea, quæ contineantur in literis habentibus istas clausulas, ipsius gratia, vel prouisionis substantia intacta remanente, quatenus alias de iure valida sit; Atque huic petitioni nimium de facili annui solet, cum ita non tollatur ius alteri Parti quæsitum.

Aliæ vero sunt petitiones reductionis ipsius gratia, vel prouisionis, ad terminos iuris, eam de medio tollendo, ac si non emanasset, adeo ut tangatur gratia principalis substantia, atque ita tollatur ius per eam quælitum alteri Parti; Et tunc magis circumspecte, ac mature proceditur, atque non nisi ex magna, nimiumque iusta causa id concedi solet, ideoque magna dignoscitur differentia inter unam petitionem, & alteram. G

De pluribus etiam in hoc Tribunal agitur, super quibus non nisi supremi Principis potestas est rescribendi; Puta circa sanationes aliquorum defectuum, vel nullitatum, quas patientur contractus; Ut præsertim, pro frequentiori præxi, contingit in censibus, qui contracti

<sup>18</sup> sint, non seruata forma præscripta per Constitutionem Pij V., vnde propter ea recurri solet pro sanatione, quæ pro frequentiori stylo cōceditur, cum clausula cōstituta de vero credito; Quoties tamē defecetus proueniat ab omissione huius formæ de novo introductæ; Secus autem ubi ex infectione viuraria, vel ex alio substantiali

F. cod. tit. de iudic. dis. 20.

G. ibidem.

## RELATIO ROM. CVR. FORENSIS

134

tiali defectu proveniente ex intrinseca natura contractus, ut latius in eius particulari sede, vbi de pluribus ad materiam huius sanationis, eiisque effectibus, illo praesertim retrotractionis pro fructibus medijs temporis, Et vbi res non sit integrata, quia nempe per sententiam census declaratus fuerit inualidus, an haec sanatio concedi debeat, necne. H

Item plereque aliae sanationes defectum accidentium concedi solent; Puncta, in actibus extrajudicialibus; Illae archivationes instrumentorum vel apocarum, quae ad formam alicuius Constitutionis, vel Statuti facta non sit, cum similibus; Sed quoniam, ut plurimum, Causidici merè practici, omnia scientes per traditionem, nos de facili inuestigant principia; Hinc propterea sequitur, quod capiendo generaliter istum terminum sanationis, in omni materia, petere quoque solent sanationem illorum contractuum, qui per minores, vel per mulieres aut filios familias, & similes initi sunt, non servata forma legum municipalium seu Statutorum, adeò frequentium in Italia, unde propterea declarantur nulli ipso iure, nullamque actionem vel obligationem pariūt ex deductis in sua peculiari materia; Verum in facti contingentia, pluries hanc petitionem reici obtinui, quoniam ista nullitas prouenire potius dicitur à naturali, vel substantiali defectu consensu, quem lex ita præsumit, ideoque esset dispensare super defectu naturali, & circa substantialia consensu faciendo debitorem eum, qui non sit; Et consequenter termini sunt valde diuersi.

De sanationibus quoque aliquarum nullitatum in processibus, & actibus iudicibus agi solet; Et praesertim nullitatis quae proueniat ex defectu citationis, circa quam procedi solet cum eadem distinctione, quod scilicet; Aut defectus est naturalis, & de facto, quia nempe nullatenus Pars citata sit; Et tunc sanatio non concedatur, cum sit defectus iuris naturalis; Aut vero defectus est in accidentibus tantum, quia nempe citatio vere ac naturaliter adsit, sed non servata quadam forma vel solemnitas à lege communis, vel municipalis, siue à stylo inducta;

H. tit. de censib. disc. 3.

I. tit. de alienas. &amp; contract. probib. plurics.

Aut quod agatur de incidentibus, et tunc id concedatur, ita temperando potius quemdam indiscerum legis posituarum regorem, qui litigantium columnas frequenter confouere solet; Ideoque non est materia, quae certam recipiat regulam, cum totum pendeat ab arbitrio ex facti circumstantijs regulando. L

Illa restitutio in integrum aduersus rem iudicatam, vel tres conformes, siue 22 aduersus aliud obstaculum, quae de iure vel stylo per Iudices & Tribunalia concedi non potest, vel non solet, in hac Signatura quoque peti solet, atque variè rescribitur, modò concedendo, modò denegando pro facti qualitate, & circumstantijs.

Quare ad istum praesertim effectum, ac ad alios supraenunciatos, & præcipue ad illum aperitionis oris, vel alterius habilitationis, instituendi, vel instaurandi item, quae alias absque Principis rescripto silere deberet, inoleuit commendabilis stylus disputandi formiter de meritis negotij principalis, ut dici solet, pro gusto, ad effectum scilicet dignoscendi, an orator bonum ius foueat, vel saltim eius vehementem fumum præbeat; Ex ea congrua ratione, quod partes Principis sunt resicare lites, aut illis occurtere, ne orientur, quando ratio oppressæ iustitiae aliter non suadeat; Ideoque de ista gustare debet.

Super competentia fori, de qua pro Tribunalium, & Iudicum qualitate Si- 23 gnatura Iustitiae cognoscere non potest, in hac Signatura Gratiae agitur, praesertim circa auocationes causarum à Sacris Congregationibus, ut remittantur ad Iudices ordinarios, vel è contra, ut causæ alicui Congregationi remitti debeant; Siue vbi agatur de illis Iudicibus vel Tribunalibus, quae non subiaceant dictæ Signatura Iustitiae; Ut (ex. gr.) sunt Tribunalia Cameræ, & Camerarij, ac Thesaurarij, aliorumque Præsidum, & officialium Cameralium, ac etiam Tribunal Fabricæ; Atq; sunt Archipræsbyteri Basilicarum, & quamplures Protectores, vel Iudices particulares prærogati; Ac etiam Cardinales, quibus porrigitur solum commissiones signatae manu Papæ; Et genera-

ralites omnes illi Iudices, qui iurisdictionem metiantur ex eadem specie, seu qualitate commissionis Signatae manu Pa- pæ.

Prout etiam circa facultates, ut procedi valeat ad subhaftationem illorum bonorum, ad quæ creditor in remedio saluiani immisus fuerit, quando bona sint talia quod infra decennium satisficeri non valeat de eius credito; Aut vbi agatur de unione plurium causarum coram uno, illas ab alijs Iudicibus auocando; Et in summa super ijs omnibus, in quibus Iudices ordinarij, & Tribunalia prouide-re non possunt, adeòt de iure, vel de stylo necessaria sit potestas Principis.

Super declaratione quoque aliquarum Apostolicarum Constitutionum, vel aliarum prouisionum, vel decretorum Apo- 24 stolicorum, recurri solet ad hanc Signaturam, atque super hoc formiter rescribi non solet super commissionibus, sed oretenus Papa respondet, unde propterea recepta conclusio est, quod declarationibus, quae per Papam oretenus fiant in plena Signatura Gratiae, deferendum venit, etiam sine aliqua scriptura, cum sit species notorijs. M

Generaliter quoque in hoc Tribunali signatur, ex quodam recepto stylo omnes commissiones, quae concernant causas Hierosolymitanæ Religionis; Vel scilicet inter ipsam Religionem, & illos, qui per eam reieci, prætendendo se grauatos, appellant ad Papam eiusque Curiam Romanam, atq; petant committi causam appellationis, vel restitutionis in integrum in Rota, vel in alio Tribunal N; Siue vbi aliquis professus, post quinquennium reclamare velit aduersus professionem, unde propterea ad præscriptum Consilij Tridentini indigeat restitutio-ne in integrum, quoniam in alijs Religionibus (ut superius agendo de Congregatione Concilij aduertitur) huiusmodi commissiones diriguntur, solent dictæ Congregationi Concilij, eiisque consultationi absque alia discussione coram Papa, eiusque Signatura, secus autem in ista Religione. O

M. tit. de fideicommiss. disc. 155. & tit. de Regular. disc. 32. & alibi sibi.

N. tit. de præminent. disc. 32. & seqq.

O. tit. de Regular. disc. 45.

Aut vbi agatur etiam de causis, & cōtrouerlijs particularibus inter ipsos milites, vel cappellanos, siue seruientes, contendentes de illis commendis, & dignitatibus, ratione antianitatis, vel benemerentia, iuxta ea, quæ in rerum beneficia- lium sede insinuantur, cum similibus. P

Istius stylt introductio sequuta fuit ex, eo quod per priuilegia huic Religioni

26 concessa præscriptus est appellationum ordo, quod. s. à Cölio Ordinario tanquam Iudice primæ instantiæ, appellandum est ad Consilium Completum, & ab isto ad Capitulum generale, neque viterior detur appellatio, vndē propterea antiquioribus temporibus ista Religio prætendebat, quod ita, neque appellari posset ad Papam, eiusque Curiam, sed causæ egredi non possent religionem; Verum hodie firmiter receptum est, vt ista prohibito intelligenda veniat de alijs superioribus, & Iudicibus appellationum, non autem de ipso Papa, cum hæc appellatio nunquam sublata centenda sit. Q; Adhuc tamen quæstiones superiunt super ista, gradualitate, vel ordine, & an hæc appellatio interponi possit omissio medio; Atque praxis rationabiliter recepit, vt negligatur ultimum medium Capituli generalis, ob eius incertitudinem, ac notabilem distantiam, cum huiusmodi causæ pro maiori parte sint personales, & super iuribus vitalitijs; Nō solet autem negligi primū medium Consilij Completi, quamvis aliquando ex causa, etiam, omisso isto medio, concedi soleat commissio in Rota, vt alibi aduertitur. R

Id autem procedit in causis, quae concernunt ipsam Religionem eiisque professores, adeòt Magn. Magister, eiusq; Consilium respectiū processerit tanquam eiusdem Religionis Generalis, & Praelatus, atque in istis, non solum in Signatura disputari solet de omissione medijs ut supra; Verum etiam de modo rescribendi, & an ad utrumque effectum suspensum, & deuolutium, vel ad deuolutum tantum rescribendum sit, tantibus eiusdem Religionis Statutis suspensiū appellationem denegantibus, vbi præler-

tim

P. tit. de benef. disc. 68. & 69. et in supplemto.

Q. dicta tit. de præminent. disc. 32.. & seqq.

& tit. de iudic. in Rubrica appellatio- num, disc. 37.

R. disc. 34. de præminent.

L. tit. de iudic. disc. 9.

tim agatur de dignitatibus, quae aliquam annexam habeant administrationem; Se-  
cūs autem vbi procedat M. Magister tam  
quam Princeps secularis, cum huiusmodi  
causē ad Curiā non deuoluantur. S

Quatenus verò pertinet ad huius Tri-  
bunalis preparatoria, sū ordinatoria; Il-  
li, qui ad Papam in Signaturā recurrere  
intendunt, in huiusmodi causis conten-  
tiosis, & præsertim, ad effectum impe-  
diendi exequitionem, vel ulteriore-  
causæ progressum, recurrent ad præfa-  
tum Papæ Auditorem domesticum, à  
quo petunt sibi decerni locum inter di-  
cas quindecim commissiones, atque in-  
terim mandari supercederi; Idque conce-  
di, vel denegari solet, pro qualitate cau-  
sarum, ac pro Pontificum, eorumque Au-  
ditorum vario stylo, ideoque certa &  
uniformis regula desuper statuta non est;  
Pendente autem hoc recursu, est super-  
cedendum, sū abstinentium in reueren-  
tiā, atque alias gesta reputantur atten-  
tata usque ad primam Signaturam. T

Cumque ista Congregatio tenuerit so-  
leat die martis, idcirco Papa, die domi-  
nico de mane, & quandoque antea, pro  
vario Pontificum stylo, dicere solet se  
velle eam tenere, vnde propterea eadem  
die dominica informantur Prælati vo-  
tantes, ad effectum ut intermedio di-  
lunæ, causarum studio vacare valeant;  
Dic verò lunæ, pro antiquo, & consueto  
stile, informari solet ipse Papa, quamuis  
aliquando, pro eodem vario Pontificum  
stile, informetur etiam die dominico;  
Vnde propterea in aula consueta audi-  
tia, sedendo, audit Aduocatos, & P. ocul-  
atores, qui informant genuflexi; Secluso  
autē isto reuerentiali obsequio, sit infor-  
matio cum omni libertate, eo more quo  
informatur omnes alij Iudices, ipsi; Pa-  
pæ benignissimè, & familiariter motiuati  
replicatur, atque generaliter discurritur,  
prout cū alijs Iudicibus sit; Singulariter  
autē quilibet defensores pro sua causa id  
agūt sine forma contradictionis, iuxta stylū  
informandi Rotam, & Cameram, vel

S. tit. de benef. in supplemento, & tit. de iudic.  
in Rubrica appellantum disc. 37; & tit.  
de iuris d. disc. 69. & in supplemento.  
T. dicto tit. de iudic. disc. 18. ad materiam  
attentatorum.

Congregationes Cardinalium, aliaque  
Tribunalia.

Istius Signaturæ stylus est, quod ad-  
uersus resolutionem iam factam non cō-  
ceditur noua audientia, vt facit Signa-  
tura iustitiae, atque de hoc stylo testan-  
tū etiam antiqui scriptores V; Licet ali-  
quando pro Papæ arbitrio, à quo totum  
pendet, soleat hęc audientia concedi; Et  
hęc quoad commissiones vel causas con-  
tentiosas.

Aliae verò quindecim commissiones,  
hoc est quinque, quæ per quemlibet Præ-  
latum proponuntur, sunt gratiosæ, idest  
quod nullum habent contradictem; Ut  
(exempli gratia) sunt, Commutationes  
ultimo voluntatum; Relaxationes  
aliquorum onerum; Applicationes subfi-  
diorum dotalium, quæ præstari debent  
pauperibus puellis, ad fauorem coniun-  
ctorum testatoris, in aliqua maiori sum-  
ma, cum similibus, in quibus non cadit  
regula, cum totum pendeat à Papæ arbi-  
trio, neque desuper pro frequentiori sty-  
lo votum Prælatorum exquiri solet.

Super præmissis negotijs, tam conten-  
tiosis, quam gratiosis, per Papam, extræ  
hanc solemnem Congregationem, si-  
gnantur commissiones, vel supplications  
in Camera, eo modo quo signantur, quo-  
tidiè tot supplications negotiorum Da-  
tariae; Verum ad plenam Signaturam re-  
mitti solet illæ commissiones, quæ pro-  
babilem habeant dubietatem, an signari  
debeant, necne, siue super modo signan-  
di, vel rescribendi, adeo ut congrua re-  
putetur earum formalis discussio in pa-  
blica, & plena Signatura, cum voto dicto-  
rum Prælatorum.

Quinimodo frequenter, neque ista  
discussio sufficiens reputari solet, vnde  
propterea, non concedendo, neque ne-  
gando id quod petitur, id remitti solet  
Tribunali, vel Iudici appellacionis, cum  
illis clausulis, de quibus agitur magis di-  
stincte, disc. seq., agendo de Signatura  
Iustitiae ad uitandam eorumdem super-  
fluam repetitionem.

Prò

V. Gomes: in compend. Signaturæ ad regul.  
de non iudicando post quæst. 16.

Prò qualitate verò negotiorum spe-  
cialium ad istam Signaturam Gratiae,  
circa concessionem aperitionis oris, vel  
restitutionis in integrū, siue cumulatio-  
nis possessori cum petitorio, aut reie-  
ctionis, vel suspensionis attentatorum,  
vel super sanationibus, rescribi solet, cum  
clausula arbitrio, deit quod Tribunal, cui  
causa principalis committitur, vel in quo  
iam introducta sit, ac pendeat, videat, an  
id quod petitur sit concedendum, necne,  
vnde propterea, ut tot Rotæ decisiones  
comprobant, adeo frequenter in eo Tri-  
bunali disputari, solet, an intret arbitriū,  
necne.

Quamvis autem istum rescribendi mo-  
rem habeat quoque Signatura Iustitiae,  
atque generalis sit propositio, quod ar-  
bitrium reguletur à iure, ideoque illud  
interponendum sit, quatenus ita ex iuris  
dispositione, vel intentione iustitia exi-  
git; Atque generica etiam sit altera pro-  
positio circa istius clausulæ operationem,  
quod scilicet aliquid relaxet de rigor  
iuris, atque aliquam aperiatur viam non  
scriptæ aequitati, quæ alias non intraret,  
vt Principis rescriptum aliquam faciat  
operationem, & non remaneat omnino  
inane.

Adhuc tamen notabilis dignoscitur  
differentia, inter unius, ac alterius Signa-  
turae rescripta, quoniam illa Iustitiae,  
magis strictè, & rigorosè intellegenda  
veniunt prout de iure; Ista vero Signatu-  
rae Gratiae magis largè, & cum aliqua  
maiori relaxatione rigoris, vel obstaculi  
legalis.

Credunt aliqui & præsertim Aulæ se-  
quaces, vel professores illius literaturæ,  
vel facultatis, quæ politica dici solet,  
quod ista functio, sū Congregatio sit ina-  
nis, & superflua, quæ inutiliter occupet  
Pontificem per triduum; In audientia  
scilicet, in studio, & in explicatione fun-  
ctionis, vtsupra, cum sit Summo Pontifi-  
ci tempus adeo prætiosum pro alijs gra-  
uoribus negotijs, quæ urgent; Quemad-  
modum enim tot aliæ supplications vel  
negotia per organum Datarij, & Secre-  
tarij Breuium, sū etiam Auditoris do-  
mestici signantur, in Camera, ita idem  
de istis fieri posset; Vnde propterea (ut  
quædam moderna recens praxis docet),  
ita Signatura non adeo frequenter ha-  
beri consuevit.

Verum ista fortè videtur erronea opi-  
natio eorum, qui discurrent rerum lu-  
perficiem, reflectendo ad solam signa-  
turam huiusmodi commissionū vel sup-  
plicationum, non autem ad magnas ni-  
miumque proficias consequentias exinde  
resultantes; Tum ob consolationem,  
ac satisfactionem litigantium, qui se gra-  
uatos, vel oppressos credunt, habendi  
hunc recursum ad supremum Principem  
qui ita publicè, ac solemniter, eorum iu-  
ra audiat, & examinet; Tum etiam (&  
fortius) quoniam istud est omnium lu-  
dicum, & officialium magnum fræsum,  
ad iustitiam bene administrandam, alia-  
que benè gerendum, quæ proprio mune-  
ri incumbunt, dum ita sciunt se frequen-  
ter expositos esse adeo publico sindica-  
tui, in quo de eorum gestis rationem red-  
dere debent coram Principe in adeo so-  
lemnī cætu Cardinalium ac Prælatorum  
aliorumque officialium vtsupra; Ac etiam  
ob multas informationes, quas prudens,  
& oculatus Princeps reportare potest, ac  
solet à Curialibus & ab ipsomet Par-  
tibus interessatis occasione recipiendi  
singulares, & quodammodo auriculares  
informationes, absque alicuius assisten-  
tia, adeo ut liberè dici valeat quid sibi  
videatur; Potissimum quia cum uno & quā-  
doque etiam cum duobus Curialibus de-  
fensoribus, admitti solet ad audientiam  
ipsa pars interessata, quæ magis liberè, sū  
minus circumspectè exponat grauamina,  
quæ sibi, & alijs ab eo Tribunalis vel offi-  
ciali inferri credat; Ideoque est optima  
& oportuna ianua, per quam licitus red-  
datur ingressus veritati, quæ nimium  
rarè illum habet in aulis, Principum, O-  
ptimumq; ac nimium commendabile di-  
cendū est institutū, quod magis frequen-  
tari deberet, non in sola ratione expli-  
candi illa negotia, quæ omnia, vel pro  
maiori parte commodè explicari possent  
in camera, sed pro dicto alio etiam po-  
litico fine regiminis publici vtriusque  
principatus.

Habet ista Congregatio, vel Signatu-  
ra, Cardinalem Præfectum, ad effectum,

Verū refineatur stylus temporis antiqui;  
sed videtur Præfectura potius ce-  
minalis, cum nunquam, vel nimium rarè,  
Cardinalis Præfector se ingerat in huius-  
modi negotijs, quæ, vtsupra, explican-  
tur, vel in plena Signatura coram Papa,

P.z Relat. S vel

vel per organum eius domestici Auditoris, cuius munus, maiores, vel minores habet occupationes, pro genio, vel stylo personæ quæ officium occupat.

De regulari vero natura huius Tribunali est, se non ingenerere in causis indiferentibus, in quibus manus apposuit, vel apponere potest Signatura Iustitiae; Minusque in ijs, quæ de iure competant, siue per ordinarios iudices concedi, vel explicari possunt, sed solum in ijs, quæ indigent suprema, & extraordinaria Principis potestate; Vnde propterea quando contingat, ut huiusmodi petitiones fiant, tunc prudenter, ac fundate emanare solet rescriptum, quod orator vtatur suo iure, siue quod suos iudices, & magistratus adeat competentes; Et meritò quidem, ex iuris propositione, quod ubi sufficiunt remedia ordinaria, & iuridica, concedi non debent extraordinaria, quæ à Principis suprema pendeant potestate, cum haec merè subsidiaria censenda veniat.



De Signatura Iustitiae, eiusque stylis;  
Et de Prælatis, ex quibus hoc Tribunal constituitur.

#### S V M M A R I V M .

- 1 **A**d quid erexitum sit hoc Tribunal.
- 2 Qua die teneatur.
- 3 De Votantibus, & de differentia voti unius, & alterius Signaturæ.
- 4 De voto, & potestate Præfecti.
- 5 De noua audience, & de deposito faciendo.
- 6 De eadem potestate Præfecti circa quæ generetur.

- 7 De revisiore commissiōnum eiusque officiāli, & de commissionibus sub banca in causis appellabilibus.
- 8 De Auditore Præfecti Signaturæ, eiusque munere.
- 9 Quid facere debeat appellans pro causa propositione in Signatura.
- 10 Quomodo informetur Signatura.
- 11 Qualis sit numerus causarum seu commissionum.
- 12 Qui interueniant in Signaturæ ultrâ votantes, & Referendarios.
- 13 Ad quid sit interuentus Regentis Caniculariam.
- 14 De modo proponendi, & votandi, & quando resolutio conclusa dicatur.
- 15 Demagno labore istorum Prælatorum.
- 16 Quod iudicia plura simul iuncta sint meliora, quam singularia, licet viorum Magis doctorum.
- 17 De eodem magno labore Prælatorum sine stipendio.
- 18 De stipendio Præfecti, eiusque expensis.
- 19 Datur parabola, seu simile Curie, circa ordines Prælatorum.
- 20 Qui Prælati interueniant in Signatura.
- 21 De diuersis modis obtinendi Prælatum.
- 22 De loco Referendariorum in Cappella.
- 23 De alijs curialibus.
- 24 De differentia Votantium Signaturæ Iustitiae, & Signaturæ Gratiæ.
- 25 Quando appellatio admittatur etiam in causis executiuis.
- 26 Signatura committente causam appellantis simpliciter fit retrotractio, & intrant attentata.
- 27 De reiectione omnimoda commissionis etiam ad effectum deuolutium, & quando.
- 28 Et quando de laceratione commissionis.
- 29 De duobus modis rescribendi cum preservatione exequutionis, & de differentia inter eos, seu inter clausulas.
- 30 De clausula translativa si quid exequendum, eiusque operatione.
- 31 De clausula cum facultate manuteneendi vel de clausula constito.
- 32 De clausula arbitrio.
- 33 An istæ clausulæ suspensiæ, vel translatiæ habeant oculos retro atque insificant exequutionem iam factam.
- 34 De clausula ad legitimam, vel ad ultiore.